

confirmare noluerit, quod agendum sit, & ob quas causas confirmatio potest differri dicam infra cum de Confirmatione fuerit sermo.

19. Abbatissa ergo electa, & nondum confirmata, nullam habet auctoritatem, & ideo ab omni regimine debet se abstinere. Ex cap. Nostri, cap. Qualiter, de electione, cap. jam dudum de prebendis, & cap. Avaritia, de elect. in 6. Ita communiter Doctores apud Mascard. lib. 2. variar. Resol. cap. 35. num. 44. nam electio dat habitum, confirmatio exercitium, Glossa in cap. Quarto, d. 63. At verò si talis confirmatio non sit in usu, tunc regula data non procedit.

20. Hæc autem tradita doctrina, ut ex multis notat Tamburinus tom. 4. disp. 49. quest. 3. Procedit, & primò, si a confirmante ita longè distet, ut non sine periculo differri possit administratio tunc ante confirmationem poterit administrare. cap. Nihil, §. fin. de electione. Secundò; quoad conservationem rerum, quæ tempore consumuntur; tamen melius erit abstinere, si alia moniales illas administrare valeant. Tertio quando à majori parte est electa; & nihil obiectum est contra ipsam, tunc impunè poterit administrare, ex d. cap. Indemnitate, vers. Si verò Quarto; quando per compromissum est electa, si oppositæ non fuerint duplo majori numero, quam consentientes, ex eodem, cap. Indemnitate, vers. Cæcum Pisanello.

21. C. Nostri. C. Qualiter. C. Jam dudum. Mascard. Glossa. Tambur. C. Nihil. C. Indemn.

QUESTIO VIII.

Verum monialis illegitima possit eligi in Abbatissam vel Priorissam absque dispensatione Apostolica.

SUMMARIUM.

- 21 Prima sententia affirmat esse necessariam dispensationem.
22 Vera sententia. Non est necessaria talis dispensatio.
23 Illegitimus admissus ad professionem est habitus ad omnia officia.
24 Si est necessaria dispensatio potest dari, ut datur Religiosis.

21. Quid monialis illegitima, scilicet privilegii, absque dispensatione Apostolica eligi possit in Abbatissam, seu Priorissam, negant Navarr. in manuali, cap. 27. num. 201. & in comm. 2. de Relig. num. 60. Suar. tom. 5. de cons. disp. 50. sect. 5. num. 15. Sanchez in Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 5. num. 19. & 20. Barbos. de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 45. num. 21. pro hac sententia citat Maiol. Mendosium, Flamin. Sayrum, Bellarm. Naldum, Machad. Novarin. Sanctarel. Fundamentum est; quia jus Canonicum inhabiles reddens illegitimos videtur procedere tam de viris, quam de feminis. Deinde quia Congregatio Concilii sub die 27. Aprilis, anno 1630. censuit electionem monialis in Abbatissam quæ est illegitima, absque dispensatione Apostolica esse ipso jure irritam.

22. Oppositam sententiam tenent Rodriguez

tom. 3. quest. 13. art. 11. Miranda de monialib. Rodrig. quest. 6. art. 3. Postel. verb. Abbatissa, n. 6. Lezana tom. 1. cap. 26. num. 6. Hieron. Rodrig. Resol. 2. n. 21. Lavor. var. lucubr. tit. 4. cap. 24. n. 38. Gavantus verb. Monial. official. num. 7. Et ratio est; quia in jure Cap. Generali, de elect. lib. 6. in materia odiosa sub nomine virorum, femina non comprehenduntur, & hujus rei signum est; quia Sixtus V. in sua const. contra illegitimos nullam mentionem facit de monialibus, & sic declaratum est à sacra Congregatione Cardinalium sub die 14. Octobris ann. 1594. & antea in Cordub. ann. 1582. moniales ex illegitimo thoro procreatos Const. Sixti V. contra Regulares illegitimos edita non comprehendit.

Et confirmatur, quia moniales gaudent privilegio concessio Religiosis sancti Joannis Evangelistæ in Portugalia. In quorum compendio habetur hoc privilegium, fol. 9. pag. 2. quod ego vidi & ita habet Ut admissus ad professionem inter illos, si habet defectum natalium, ipso facto sit dispensatus non solum ad ordines, sed etiam ad omnia solita gubernari per fratres illius ordinis Prioratus, Rectoratus, &c. Moniales per communicationem gaudent hoc privilegio, ac proinde ex eo quod est admissus ad professionem, est etiam dispensata ad omnia. Ultimo tandem confirmatur; quia femina non sunt proprie Prælatæ prælaturæ, de qua loquuntur Canones, ut colligitur ex D. Thoma in 4. distinct. 25. quest. 2. art. 1. quest. inc. la 1. quam opinionem tenet expressè Rodrig. tom. 1. questionum Regul. quest. 13. art. 21. & pro eadem citat Bartolum, Cynum, Anchar. Palud. Tabien. Tabien. allegato, cap. num. 18.

Nec ulla alia declaratio, quæ in oppositum adducitur, ostenditur authentica, nec etiam quod sit lata per modum legis nec habet vim ad derogandam concessionem Summi Pontificis authenticam, quam vidi; bene tamen addit Miranda citatus, eo casu, quod si prima opinio sustinenda esset, possent moniales illegitimæ habitari ad officia eo modo, quo Religiosi; quod etiam docent Postel. citatus, num. 6. Diana 3. part. tract. 2. Resol. 101. sed hæc dispensatio non est necessaria, ut dixi.

QUESTIO IX.

An Monialis bigama possit eligi in abbatissam absque Apostolica dispensatione.

SUMMARIUM.

- 25 Prima sententia affirmat, necessariam esse dispensationem.
26 Non est necessaria talis dispensatio, & n. 27.

Bigamus proprie dicitur, qui binas contraxit nuptias, vel qui unam contraxit cum muliere vidua, ut latius dicam cum de dispensationibus fuerit sermo. Ad questionem propositam, negantem partem tenent Majol. Vivaldus; & alii quos citant, ac sequuntur Sauch. tom. 2. in Decalog. lib. 5. cap. 5. num. 23.

QUESTIO XI.

An femina infamis possit eligi ad Religionis Prælationes.

SUMMARIUM.

29 Sententia negativa est communis, sive infamia sit juris, vel facti.

Monialis, sive sit infamis infamia juris vel facti, non potest eligi absque dispensatione: ita Vivaldus, Majolus, Navarrus, Card. Tuschus, Garcia, Sigismundus, Sanchez, quos citant, ac sequuntur Tamburinus tom. 3. disp. 28. quest. 13. num. 3. Lezana tom. 1. cap. 26. num. 7. & alii communiter, & probatur tum ex cap. infames 6 quest. 1. alii que juribus, in quibus statuitur infames non posse eligi ad honores, ac dignitates, & jura videtur indistinctè loqui, tam de hominibus quam de mulieribus, tum etiam quia non deet Virginibus assumptis in sponsas Christi, quod feminas infamis sive jure, sive facto, præfic id etiam post emendationem: quanquam si infamia esset solum facti simpliciter, posset monialis hoc modo infamis post emendationem eligi in Abbatissam, ob ea, quæ tradunt doctores de infamia facti, ut Bonacina disp. de Censuris, quest. 3. part. 1. num. 5. Pellizar. tom. 3. de Monialibus; tract. 10. c. 8. n. 47.

QUESTIO XII.

An monialis que fuit in seculo vidua possit eligi in Abbatissam, seu Priorissam absque dispensatione, Apostolica?

SUMMARIUM.

- 30 Prima sententia requirit dispensationem.
31 Secunda affirmat non esse necessariam, & multis exemplis corroboratur, & n. 2.

Monialis, quæ virgo non est, in Abbatissam posse eligi, negans Manjostus Selva, Majol. Vivaldus, Castellinus, quos citant, ac sequuntur Miranda de monialibus quest. 7. art. 6. Barbosa de jure Ecclesiastico, lib. 1. cap. 45. n. 24. Diana 3. part. tract. 2. Resol. 99. & etiam citat Homobonem, Julium Lavorium, Qui fundantur in cap. juvenentium 20. quest. 1. & cap. 21. quest. 7. Sed hæc jura procedunt de Abbatissis benedictis, ac consecratis velo Virginitatis, non vero velo Prælationis, vel personæ benedictæ, & in hoc sensu explicanda est quedam declaratio Sacræ Congregationis die 13. Julii 1616. quam adducit Castellinus.

Opposita sententia affirmans, talem posse eligi mihi videtur verior, cum constanter tenet Postel. verb. Abbatissa, num. 20. Hieron. Rodrig. Resol. 2. num. 26. Lezana tom. 1. c. 26.

Barbosa. num. 23. Barbosa de jure Ecclesiast. lib. 2. cap. 45. n. 2. Fundantur, quia sicut viri bigami Prælationem sunt incapaces, ita & mulieres.

Sed hæc ratio non est magni ponderis, ut observat Hieronym. Rodrig. Resol. 2. num. 23. Nam lex pœnalis loquens de viris, non extenditur ad feminas, ut superiori questione dixi. Et præcipue, quia irregularitas indicta est à jure ad excludendos bigamos à susceptione Ordinum sacrorum primo & directè per se, ex quo ex vi hujus prohibitionis, illi tantum indirectè incapaces videntur Prælationum, ac dignitatum, quatenus illis est annexa potestas clavium. Cum autem feminae incapaces sint sacrorum Ordinum, inde incapaces sunt bigamiæ, seu hujusmodi inhabilitatis, proindeque non repugnare illis habere officium Abbatissatus, quatenus est quedam administratio sine jurisdictione spiritali, & sine potestate clavium, quæ administratio eorum sexui non repugnat, in hac sententia est Postel. in responsionibus moralibus 3. p. casu 25. num. 4. & pro hac re faciunt rationes datæ super cap. & privilegium assignatum Congreg. S. Joannis.

Indeque absque ulla dispensatione fieri potest, & consequenter ad ea quæ diximus superiori questione: nam sicut sub pœnis impositis erga illegitimos non veniunt feminae, sic etiam sub pœnis erga bigamos non comprehenduntur feminae. Unde nescio quo fundamento M. Lezana tom. 1. cap. 26. num. 7. dicit quod Monialis bigama, non potest eligi in Abbatissam cum affirmet, quod illegitima valet eligi.

QUESTIO X.

An Monialis ex maculoso genere orta possit eligi in Abbatissam sine dispensatione?

SUMMARIUM.

28 Sententia affirmativa est communis.

Communis est resolutio, quod Moniales descendentes ex maculoso genere, ut pote Hebræorum, aut Saracenorum, absque ulla dispensatione eligi possunt in Abbatissas, ac Priorissas, non enim eis contradicit commune jus, & constitutiones Summorum Pontificum, quæ pro aliquibus Religionibus emanarunt, solum de viris expressè loquuntur, & non de feminis, ac proinde sub illis feminae non comprehenduntur, juxta dicta proximis duabus questionibus, Ita Fr. Emanuel tom. 1. quest. 14. art. 13. Miranda de Monialibus, q. 6. art. 2. & 3. Postel. in dub. Regular. verb. Abbatissa num. 6. Lezana eodem verb. Abbatissa. num. 9. Hieronim Rodrig. Resol. 2. n. 8. Pellizar. tom. 1. tract. 20. cap. 8. n. 47.

Fr. Eman. Miranda. Postel. Lezana. Hier. Rodrig. Pellizar.

Vrsell. Navar.

Fr. Eman. Machado. Suarius. Sanchez.

num. 5. Vrsell. in Conclus. legalibus, verb. Abbatissa lectio concl. 3. num. 3. Novarin. in Lucerna Regul. verb. Abbatissa, num. 1. & 2. Fr. Emmanuel. tom. 3. addit. summa, cap. 3. n. 9. Machad. documen. 4. num. 5. Hanc sententiam approbavit Magister Suarius dum viveret, & probabilem dicit tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 6. num. 16. & Sanchez in Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 5. num. 22. ubi probat ad Abbatissæ munus non desiderari Virginitatem, & pro hac sententia videtur stare Diana 5. part. tract. 2. Resol. 99.

32.

Probat, quia nullo jure probatur ad munus Abbatissæ requiri Virginitatem, & esto aliquid daretur, etiam pontificium, per contrarium usum tolli poterat, & ad hoc dicit aliqui sufficere decennium, & alii, attentis circumstantiis, minus tempus requirunt quam decennium, & qui majus tempus requirunt dicunt, per quadraginta annos sufficientissimè legem tolli per contrarium usum; sed dato, & non concessio, quod aliqua lex canonica prohiberet viduam fieri Abbatissam, esset abrogata per contrarium usum; nam Postel. per diversas ætates affert triginta exempla monialibus viduis electis in Abbatissas, Hieronym. Rodrig. apponit illud exemplum suo tempore, & ego addo, quod dum hæc scribo, in nostro Conventu Carmelitano Juliae pacis, Virginitis Expectationis, est modo Priorissa Monialis, olim in sæculo vidua; & inde consuetudo satis manet probata per tot sæcula tot exemplis.

Postel.

Hier. Rodr.

QUESTIO XIII.

An Priorissa, vel Abbatissa finito suo tempore, possit iterum immediate eligi, vel ejus soror?

SUMMARIUM.

- 33 Abbatissa finito triennio cessat ab officio per sexennium, vel quadriennium.
34 Finito triennio potest continuare, ut vicaria.
35 In monasterio novo potest reelegi.
36 Soror Abbatissa potest eligi.

33. Greg XIII. Sixtus V.

Rodrig.

Postel.

Constitut.

34.

Tambur.

Abbatissæ durant solùm per triennium, ut decernit Gregorius XIII. in sua Bulla die 1. Januarii 1583. & Sixtus V. in alia Bulla 1587. At bulla Gregorii XIII. est pro sola Italia, ac regnis utriusque Sicilia; & Bulla Sixti V. est pro solis Abbatissis S. Clarae, unde notat Rodriguez addit. sum. posse extra Italiam; & Abbatissas S. Clarae finito triennio continuari, quod etiam habet Postel. verb. Abbatissa, num. 4. Quod intelligendum est nisi obstant constitutiones, ac consuetudines propriæ Religionis, ac monasterii. Ut Moniales S. Clarae debent vacare per sexennium, & nostræ Carmelitanae, 3. part. constit. cap. 12. num. 10. & Moniales S. Domini per quadriennium.

Ex quo patet primò, quod Monialis non potest eligi in Abbatissam aliarum Monialium, ut notat Tamburinus tom. 4. disp. 30.

quæst. 1. num. 9. nam hoc pacto essent perpetua, quod repugnat præfatis constitutionibus, tamen videntur procedere in eodem conventu, ut in multis vidi explicari. Secundò: Abbatissa completo suo triennio, muncere præfidentis, ac vicariæ potest continuare per aliquod breve tempus usque ad electionem novæ Priorissæ, hoc enim potest esse in magnum commodum, ac bonum conventus, ut notant Miranda quæst. 7. de monialibus, art. 9. Lezana verb. Abbatissa, num. 12. Et ita Constitutio Gregorii XIII. & quædam declaratio Sacræ Congregationis relata à Gavanto verb. Monialium officiales, num. 20. ubi dicitur: Officium Abbatissæ finito triennio expirat, nec Episcopus illud potest prorogare. Quod benignè est interpretandum; non potest extendere ad aliud triennium: non verò ad breve tempus ac præfidentiam Conventus. Pellizar. tom. 3. tract. 10. cap. 8. n. 60.

Miranda. Lezana.

Card. Cong. Gavant.

Pellizar.

Tertiò: si monasterium fuerit novum, ac denuò fundatum; tunc videtur, quod finito tempore, poterit iterum eligi Abbatissa, ob bonum commune Religionis, ac reformationis, & ad majorem fabricam conventus, est enim peculiaris, ac particularis casus, & videtur exceptus à communi lege; & ita vidi viros doctos consulis, habet Miranda expressio regula S. Clarae. Postel. verb. Abbatissa num. 10.

35.

Miranda. Postel.

Soror Abbatissæ immediate antecedentis, potest eligi in Abbatissam electione Canonica, ut declaravit Sacra Congregatio Episcoporum circa Moniales de Udellavilla Ulyssip. die 19. Aprilis, ann. 1619. ut referunt Castellinus de electione, cap. 17. num. 18. Novarin. Lucerna Regul. verb. Abbatissa, Barbosa de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 45. num. 26. Hoc intellige nisi peculiares Constitutiones Religionum resistant, ut nostræ Constitutiones p. 3. cap. 12. num. 10. nam Sacra congregatio rem decidit secundum jus commune, & peculiares Religionum leges, non intendit derogare.

36.

Congreg. Castellin.

Novarin. Barbosa.

Constitut.

QUESTIO XIV.

Qualiter se debeant habere Prælati, & scrutatores in electione Abbatissæ; & an ferant suffragium in ipsa?

SUMMARIUM.

- 37 Prælati assistentes electioni non habent in ea suffragium.
38 Aliqui probabiliter affirmant; sed hoc non extenditur ad vicarios, seu delegatos.
39 Scrutatores cum Prælato assistentes non habent votum.
40 Prælati assistentes si seminat discordias incidunt in excommunicationem.

N verò in hac electione Prælati præfidentis possit dare suffragium, etiam in casu discordiæ exortæ inter Moniales? Expressè negat, & prohibet Sacra Congregatio Cardina

37.

Cong. Card. Tambur. Jul. Lavor.

Constit. Car.

38. Postel. Sanctur.

Lezana.

39.

S. Congreg. Barbosa. Tambur.

40.

S. Indem. Navar. Sayrus.

Cardinalium die 23. Maij anno 1621. ut tenent, ac testantur Tamburinus tom. 3. disp. 28. quæst. 6. num. 6. Julius Lavorius variar. lucubr. tit. 4. cap. 24. ita tales electiones sint nullæ; ut expriment nostræ Constitutiones Carmelitanae, 3. part. cap. 12. n. 7. & si fiat aliter, electio est nulla.

E contra Portel. verb. Abbatissa, n. 9. quem sequitur Sanctorius in Constit. Minorum, c. 11. stat. 7. de 4. ex eo probat, quia Præles electionis caput est illius communitatis, ita ut ipse cum Monialibus faciat unum collegium, tum quia ita sit à multis Episcopis de Portugallia; unde ait Lezana verb. Abbatissa, num. 4. Quod ubi fuerit legitima consuetudine introductum observari poterit, præcipuè cum à Sacra Congregatione non videatur derogata antiqua, & legitima consuetudo; & cum hoc dependeat ex consuetudine, observandum tamen est, quod hoc datur tantum Episcopis, & Prælati, ut ipsi Auctores testantur, & ideo non esse extendendum ad eorum vicarios & legatos, quod consideratè est agendum, licet electio erit nulla.

Scrutatores tamen assistentes cum Prælato, non habent suffragium in tali electione, ut declaratum est à Sacra Congregatione. Ut referent Barbosa in collect. Bullarii, verb. Abbatissa & Tambur. citatus, num. 6. Quod intelligitur de scrutatoribus extraneis, non verò si sint ex numero Monialium, quia ipsæ aliunde habent suffragium.

Caveant quicunque Prælati, qui in talibus electionibus præfunt, vel ad eas dirigendas vocantur, ne inter Moniales ipsas seminant discordias, vel exortas foveant, ac nutriant: nam talia facientes subjacent excommunicationi læ sententiæ cap. Indemnitatibus de electione, as electi potestate, in 6. Navar. 6. 27. n. 124. Sayrus lib. 3. cap. 37.

QUESTIO XV.

Qualiter se debeat habere Superior, cum Moniales nolunt concordare in electione?

SUMMARIUM.

- 41 Si Moniales non concordant, dato tempore, potest præfident nominare Abbatissam.
42 Post duo scrutinia, si Moniales non concordant, in Ordine S. Bernardi potest Præfident nominare duas.

41.

Habet Præfidentis jus, si Moniales inter se discordent circa electionem Abbatissæ, nominandi eam, quam magis idoneam judicaverit; ita tamen, ut prius designet Monialibus certum tempus competens ad concordandum, quo elapso, si non concordaverint, poterit nominare Abbatissam, seu Priorissam Conventus. Ita statuit Sacra Congregatio Cardinalium 12. Octobris 1592. & iterum eadem Congregatio Sacra Episcopo Assitit die 20. Novembris 1595. apud Piascum in praxi Episcop. part. 2. cap. 3. n. 57. Tamburinus Sylveira Opuscula.

S. Congreg. Piascus. Tamburinus.

tom. 4. disp. 28. quæst. 6. n. 5. Pellizar. 1. 3. tract. Barbosa. Bullarii, verb. Abbatissa.

Adverto etiam ex Bulla Gregorii XIII. data die 16. Aprilis 1574. quæ inter Bullas Gregorii XIII. est in ordine 15. in qua conceditur Visitatoribus, ac Abbatibus, seu Prælati Monialium Ordinis sancti Bernardi; quod si ad electionem Abbatissarum per duo scrutinia Moniales non convenierint; quod tunc poterit præfident proponere duas, vel tres Moniales ejusdem Conventus, quas ad regimen illius aptiores judicaverit, & quæ plura vota habuerit, canonicè est electa Abbatissa, seu Priorissa, & confirmanda est, quo privilegio per generalem communicationem uti possunt Prælati aliarum Religionum; imò etiam Episcopi respectivè ad Monasteria ipsi subjecta. Sic citatus Pellizarus Pellizar. nu. 107. Alia de hac re dicam cum de electionibus fuerit sermo.

QUESTIO XVI.

Cui spectat dare suffragium in electione Abbatissæ, seu Priorissæ?

SUMMARIUM.

- 43 Moniales professe conveniunt ad electionem post tot annos professionis.
44 Tacita professe, & conversa ex jure non excluduntur, sed consuetudine.
45 Si Monialis agrotat quomodo ejus suffragium requirendum.

Certum est, quod hæc electio spectat ad Moniales Conventus, cujus Abbatissa eligitur, cap. Indemnitatibus, de elect. in 6. Certum est etiam, quod ad hanc electionem conveniunt Moniales professe, non omnes: nam juxta varia statuta, ac consuetudines Religionum, & Monasterii, tot, & tot anni requiruntur post professionem, quibus maxime standum est: ad hanc electionem debent vocari omnes Moniales Conventus, nisi sint excommunicatæ, vel ex aliquo capite privatæ.

Secundum jus commune admitti possunt ad electionem professe tacitæ, jam enim sunt Religionis membra, sicut & conversæ, quia sunt veræ religiose professe, & nullam jus eas excludit; ut notat Suar. tom. 4. de Religio. ne tract. 8. lib. 2. cap. 5. n. 8. tamen regulariter excluduntur, nisi ex speciali jure vel consuetudine alicujus loci, vel Religionis contrarium persuadeatur.

Casu verò, quod tempore electionis agrotet Monialis, Præfidentis electionis non potest ingredi Monasterium ad recipiendum ejus suffragium, ut expressè declaravit Sacra Congregatio 41. Junii 1595. Teste Gavanto in manuali, verb. Monialium officiales, num. 18. tamen suffragium talis infirmæ requirendum est per duas, vel tres Moniales maturæ ætatis, ac bonæ conscientiæ, clausa electionis urna, ut sit apud nos Carmelitas.

43.

C. Indem.

44.

Suar.

45.

S. Congreg. Gavant.